



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 An materia Eucharistiæ sit solus panis vsualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

præcedentes authores, nam de re illa dubitari non potest, quin sit verum triticum, fortasse ergo significarunt aliquam aliam speciem grani nobis ignotam, nam & apud nos in Boetia dicitur esse granum, quod dicitur Scandia, & non reputatur triticum, sed pabulum fumentorum, in aliis vero locis dicitur esse aliud genus grani distinctum ab hordeo, & à tritico, nullum habens putamen, seu tunicam, & vulgo appellatur farro, quamvis hæc vox interdum apud nos significet etiam farinam hordeaceam, itaque varietas nominum efficit ambiguitatem in rebus, & cum ipse alias non satis notæ sit, tota res sit incerta, si tamen loquamur de farre, quod à Latinis dicitur semē adoretum, far illud sine dubio ponitur inter species tritici, ut patet ex Plinio, libro 18. capite 3. ubi dicit esse granum durissimum, & firmissimum: indicans esse perfectum valde, & magni ponderis, & Columella libro secundo, capite sexto, dicit Alicastrum esse speciem farris.

V. Atria.

Tertium exemplum est typha, Hispanè Centeno, de quo aliqui putant esse sufficientem materiam. Ita Victoria numero 55. qui dicit, de hoc fuisse locutum Diuum Thomam nomine filiginis, nam dicit ex grano tritici seminato in malis terris nasci filiginem, quod est verum de typha, non de perfecto tritico, & ita etiam intellexit Diuum Thomam Ledesma, licet hanc opinionem deserat. Ratio vero huius sententiæ est, quia existimat typham essentialiter esse triticum imperfectum tamē accidentaliter. Contrariam sententiam tenet Ledesma, & nonnulli Summittæ, qui existimant typham reuera non esse triticum, quia licet interdum vitio terræ ex illo generetur, illud tamen est per modum corruptionis, sicut interdum etiam ex tritico oritur auena, aut lolium, & posset exponi Diuus Thomas, ne huic sententiæ sit contrarius, ut loquatur de filigine in significatione supra posita, nam etiam à Latinis dicitur vitium tritici quia licet candore & sapore præstet, tamen virtute & potestate ad nutriendum à tritici perfectione degenerat, quod potest interdum ex imperfectione terræ, vel frequentiatione provenire. Loquendo ergo proprie de typha, seu, Centeno, mihi est materia dubia, quia neque ex figura, colore, aut proprietate mihi satis constat, qualis sit differentia inter illam & triticum, neque ex eo, quod generetur ex tritico, potest alterutrum inferri, quia illa generatio esse potest, cum substantiali & cum accidentali diuersitate, qualis autem illa sit, aliis signis inuestigandum est. Vnde licet negatiue recte inferatur, illud granum, quod nunquam generatur ex tritico, non esse triticum, tamen affirmatiue nõ sequitur illud, quod generatur ex tritico, esse triticum. Relinquitur ergo dubia hæc materia, & ideo in praxi illa non est vtendum, ut dixi.

Ledesma.

4. Corollariū.

Quarto sequitur, quid dicendum sit de pane confecto ex diuersis granis, farinis aut malsis, distinctione enim opus est: nam si omnia ista sint triticea, licet sint diuersæ speciei, non refert, cum tota illa materia & singulæ illius partes sufficiant, si autem mixtio fiat ex aliis frumentis, & maior pars cum notabili excessu sit triticea, censeripotest sufficiens materia, quia in vfu omnium hominum ille panis iudicatur triticeus, alias panis confectus ex tritico male purgato, non esset sufficiens, quod est plane falsum. Ratio vero est, quia illa maior pars, adiuncta contusione, seu coctione, censetur alias particulas trahere ad suam speciem, & ita confici mixtum eiusdem rationis cum pane triticeo. Si vero pars triticea sit minor, vel etiā æqualis, non erit tota illa materia sufficiens, ut sentit hic Diuus Thomas ad 3. & Bonauentura distinct. 11. artic. 4. quaest. 4. ad 3. & ratio, quia vel sit perfecta mistio, & sic maior pars trahit minorem in suam speciem, vel si sit æqualis, vtraque corrumpetur, & fiet vnum tertium distinctum, vel solum sit mistio imperfecta, per iuxta positionem, & tunc pars illa, quæ fuerit triticea, erit materia, & non alia, tamen pro-

8. Bonauentura.

pter confusionem, tota illa materia non erit in vfu consecrando, legatur Alenf. quaest. 32. mem. 4. Maior dist. 11. quaest. 3.

Ad argumenta contrariæ sententiæ solutio patet ex dictis. Ad primum enim iam ostensum est nomine frumenti & panis simpliciter dicti, intelligi panem triticeum, & ita esse explicatum in Conciliis, & communi consensu, & traditione Ecclesiæ. Ad secundum respondetur, panem triticeum esse satis certam, satisque communem materiam, cuius signum est, quia hæctenus practice & moraliter nunquam fere dubitatum est in particulari, & in individuo de tali materia, neque alicui deficit, quia quamvis fortasse in aliqua regione non generetur triticum, facile alportari potest. Nec refert ad materiam Sacramenti, quod grana tritici specie differant, necne, quia Sacramenti veritas non pendet ex specifica vnitatemateria, tantum ergo de illius necessitate est, quod sit panis triticeus. Verisimile tamen est, quod Diuus Thomas hic ad secundum, & Bonauentura & Durandus, ac fere alij Theologi sentiunt, omne triticum esse eiusdem speciei substantialis, quia inter ea non apparet tanta diuersitas accidentium aut effectuum, quæ substantialem diuersitatem indicet. Ad tertium Caietani respondetur, falsum esse & incredibile quod alium, tantam enim diuersitatem experimur, inter farinam hordei, verbi gratia: & tritici, & inter panem hordeaceum & triticeum, quanta est inter ipsa grana, ut conitit ex qualitatibus & effectibus, quos experimur, nec est vlla probabilis ratio ad credendum oppositum, nam cum proxima materia sit specie diuersa, sola contusio non satis est, ut farinæ sint eiusdem speciei cum illa non sit causa perse, sed per accidens, alias quidquid per talem contusionem generaretur, siue ex frumentis, siue ex petra, aut ex lateribus, aut ex alia quacunque simili re fieret, esset eiusdem speciei. Item sequitur, panem ex granis, vel ex leguminibus confectum esse eiusdem speciei, quia sanguis inde generis etiā esse eiusdem rationis. Vnde non est simile exemplum sanguinis, quo Caietan. vtitur, quia sanguis habet principium perse & proximum, ac eiusdem rationis in viuente, à quo generatur, & ab eodem materia cibi, quæcunque illa sit, disponitur ac preparatur ad talem formam, mediis aliis transmutationibus: at vero farina resultat ex granis contulis, per modum cuiusdam mistionis, & ibi contusio solum se habet, ut conditio sine qua non, & ideo non satis est, ut, quod resultat, sit eiusdem speciei, sed potius est diuersum iuxta qualitatem miscibilium & idem proportionaliter est de pane, quia media coctione ex farina & aqua conficitur.

SECTIO II.

Vtrum materia huius sacramenti sit solus panis vsualis ex farina triticea & naturali aqua confectus.

Explicuimus veluti remotissimam materiam, & substantialem: nunc declarare oportet qualitatem eius, seu modum quo confici debeat.

Dico ergo primo, de necessitate huius materiz esse, ut sit panis ex farina triticea, & sola naturali aqua coagmentatus, ita Diuus Thomas hic articulo 7. ad 3. Paludanus distinctione 11. quaestione 1. numero 33. Richardus artic. 2. quaest. 2. Sotus distinctione 9. q. 1. artic. 6. ad 3. Angel. verbo, Eucharistia. 1. nu. 7. Syluest. 1. quaestione 2. Alan. libro 1. capite 11. Ratio est, quia panis communis & vsualis, quo vtuntur homines, vt sit veluti comes aliorum ciborum, solum sic ex materia triticea, & aqua naturali: & vtraque est æque necessaria, ut huiusmodi panis coalescat: sed materia huius sacramenti est panis triticeus & vsualis: ergo, confirmatur, nam propter hanc causam panis confectus ex farina, lacte, oleo aut simili liquore nõ est materia huius sacramenti: quia re vera non est panis, sed

sed aliud genus massa, seu placentæ: idem ergo erit, si farina subacta sit cum aqua rosacea, aut alia simili; intelligi autem debet, sicut paulo antea de farina dicebamus, scilicet ut tota aqua vel maior pars naturalis sit, nã si parua aliqua quantitas misceatur; alterius aqua non mutabit substantiam, quia verisimile est conueri ab illa maiori parte, præsertim adiuncta coctione, unde id non impedit, quominus ille panis consecratur vsualis: & ideo id non erit contra sacramenti veritatem, esset tamen illicitum id facere, quia est præter Christi institutionem, & huius materie puritatem. Cum autem dicimus, requiri solam farinam & aquam, non excludimus nonnullam falsam admistionem, nam licet hæc in Ecclesia Latina fieri non debeat, propterea, quæ infra dicemus de pane æzymo, tamen si fieret, non esset contra substantiam sacramenti, quia vsualis panis fermentatus ita confici solet: seus vero est de butyro, pipere, caseo, aut aliis rebus similibus, quæ nullo modo misceri debent, & si in minima quantitate adiungantur, erit illicitum contra puritatem, & institutionem talis materie, si vero in maiori, aut in notabili quantitate misceretur, esset contra substantiam sacramenti, quia non fieret panis vsualis, sed placenta quædam, quæ potius cum pane comedatur, quam ipsa possit per modum panis ad alios cibos deferuire, & ideo in huiusmodi mitionibus, non sola quantitas, sed etiam qualitas attendenda est, nam si fiat per modum condimentis, & mutet saporem, ac vsum panis, tollet veram rationem huius materie.

Contra hanc vero conclusionem sentit Caietanus hic articulo 7. putat enim ex farina, & aqua rosacea fieri panem eiusdem speciei cum alio communi, quia sola illa diuersitas aquæ non videtur ob stare, quò minus panis consecratus sit eiusdem speciei, tum quia, per coctionem exhalat & consumitur, tum etiam, quia, licet aliquid maneat, tamen potissima substantia illius multi est farina, quæ eiusdem rationis manet, & in suam naturam trahit humorem illum. Hæc opinio aliquibus recentioribus non displicet; mihi vero maxime, propter antiquorum autoritatem, & Ecclesiæ vsum, qui est in hac re maioris momenti. Respondetur ergo primum, non esse improbabile, mista illa, specie substantiali & physica differre, quia alterum miscibilium diuersum est, & æque concurrit cum alio ad mistum conficiendum, nam in magna quantitate ponitur, & est valde actiuum, quidquid vero sit de specie physica fati est, illum panem non esse vsualem, ut non possit esse materia huius sacramenti, ut iterum iam dicemus.

Dico secundo, necesse est, ut hic panis sit calore ignis concoctus, itaque cruda massa non est sufficiens materia. In hoc contentiunt omnes Theologi. Et ratio est, quia massa non est panis, nec cibus, aut alimentum hominum, per se loquendo. Dubitari autem Theologi, an hæc massa differat specie à pane concocto. Et quidam negant, ut Scotus distinct. 11. quæstio. 6. & Gabriel. lectione 37. in Cano. sicut caro eruda, & cocta videntur specie differre. Alij vero affirmant, ut D. Thomas quæstione sequenti, articulo 6. ad primum, & in 4. distinctione 11. quæstione. articulo 1. quæstione 3. & ad tertium, ubi & farinam à tritico, & panem à massa & farina, specie distinguit, quem sequuntur Caietanus & alij Thomistæ. Et est verisimile, quia cum massa & farina sint materie facile transmutabiles, credibile est, nimio calore ignis substantialiter mutari, sicut cum panis, per actionem naturalis caloris in chylum conuertitur, quod etiam indicat diuersitas accidentium, & operationum, nam licet vnum & aliud signum non sufficiat, tamen multa simul sumpta multum indicant. Addit Caietanus rationem Theologicam, scilicet, quia, si forma panis esset accidentalis, maneret post consecrationem; quod est omnino falsum, ut infra dicetur. Sed hæc ratio non cogit, quia, licet panis non differat à massa substantialiter, nihilominus non esset dicendum, formam panis esse solum accidens, sed esse formam substantialem massæ, & substantiam massæ esse substantiam panis, quamuis illa substantia non habeat rationem panis, nisi coniuncta sit talibus accidentibus, ut in alijs exemplis infra tractandis necessario dicendum est. Itaque hæc res Theologica non pendet ex hac quæstione physica, ut bene dixit Scotus, & fatentur uterque Soto & alij Thomistæ. Ex hac vero conclusione sequitur amyllum crutum (ut ita dicam) non esse materiam huius sacramenti, quia ut sic, necesse panis, nec est cibus humanus: An vero ex illo confici possit panis, iam dicam.

Dico tertio, de necessitate materie huius sacramenti est, ut panis sit solo igni assus, seu coctus, ita ut si sit bleo aut butyro frixus, aut aqua elixus, non sufficiat. In hac omnes conueniunt. Et ratio est, quia alioqui non erit verus & vsualis panis, sed erit placenta, laganum, pulvis, aut quid simile: Vnde Plinius lib. 18. c. 8. dicit, Romanos multo tempore vfos esse pulvej & non pane, distinguit ergo vnum ab altero. Neque oportet differentiam esse specificam, & substantialem, sed satis est, ut ita dicam, quod sit vsualis & artificialis. Non refert autem, quod panis in furno torreatur, aut sub cineribus, aut intra aliquod vas ferreum, aut sicile assetur dummodo puro igne coquatur, quia illis modis non fit mistio alicuius liquoris, neque impeditur vera coctio, sed solum est varietas in proximo continente, seu in modo applicandi ignem, & ideo non impediunt, quin fiat verus panis. Vnde intelligitur, amyllum confectum per modum pulvis, seu pulmentarij, prout fit in communi vsu illius, non esse materiam consecrationis, quia non est panis.

Dico quarto, Necesse est ut panis dicto modo confectus in sua substantia, & natura perseueret, & in eo consecrari possit, & eadem ratione necessarium est, ut farina ex qua conficiendus est panis, non sit corrupta, sed ut conseruetur in sua natura. Ita D. Thom. hic & omnes, quia si fiat corruptio, iam non est panis, sicut acetum non est vinum, & ideo non est materia, ut dicemus. Sæpe vero difficile est iudicare, an panis sit substantialiter corruptus, necne. Et ideo D. Thom. hic ad quartum recte docet diligenter considerandam esse mutationem accidentium, coloris, saporis, & an facile fiat dissolutio seu resolutio, quasi in cineres, nam illud est maximum corruptionis signum. In praxi vero seruandum est, ut quodcumque sunt signa corruptionis, non fiat consecratio, propter reuerentiam tanti sacramenti, quod maxime verum est, quando tot sunt signa, ut saltem reddant materiam dubiam. Dubitari vero solet de pane prius male cocto, qui postea per compressionem digitorum, quasi in massam redigitur. Respondetur, quod ad vsum pertinet propter reuerentiam, non esse vendendum huiusmodi, vel alia simili materia, non existimo tamen in rigore illam esse corruptionem substantialem, quia nulla interuenit actio, quæ ad illam sufficiens esse videatur. Et per hæc iudicandum esse de similibus casibus.

Vnum vero superest controuersum dubium de pane confecto ex amylo, an sit sufficiens materia, multi enim affirmant, quia amyllum est materia triticea, & potest in massam aqua subactam redigi, & igne assari, ita Paludan. dist. 11. quæstio. art. 4. conclus. Palud. 5. At vero D. Thomas hic ad quartum, absolute negat, quem est sequens Scotus, dist. 11. quæ. Cathus. quæst. 3. dubio ultimo. Victoria num. 55. Ledes. Alan. Syluester, Angelus locis supra citatis. Ratio est, quia existimant omnino corrumpi triticum, quando ex illo conficitur amyllum, transmutatur enim longe alio diuerso modo, quam cum ex tritico fit farina, quia & diuerso modo contunditur, & illi miscetur aqua, & postea lacteus humor colatur, & exsiccat: deinde vehementi calore solis, hæc autem multiplex actio, & transmutatio, ad finem valde diuersum ordinata;

Franc. Suarez Tom. 3. magna

Conclusio.

Conclusio.

Dubium.

Responsio.

alud.

Scotus.

Cathus.

Victoria.

Ledesma.

Alanus.

Sylus.

Angelus.

magnam facit coniecturam, materiam illam, seu massam, quae dicitur amyllum, esse valde diuersae rationis a farina triticea, & consequenter, quamuis ex illa postea fiat pasta, seu massa & coquatur, illam non esse panem verum, & vsualem, sed corruptum: & aliud placet genus: non ergo erit materia sufficiens, Et haec sententia est valde verisimilis, & vt minimū, certum est, hanc materiam esse valde dubiam, vt dixit D. Thomas distinctione 11. quaestione 2. articulo 2. quaestione secunda ad 3. Et Soto distinctione 9. quaestione 1. art. 3. & ideo non esset consultum, neque scurum in illa conficere.

D. Thom.
Scotus.

SECTIO III.

Utrum panis azymus vel fermentatus sit de necessitate sacramenti.

5 Sententia.
Gracorum
erronea:

Dicam simul de necessitate sacramenti, & praecipui, quia haec duo D. Th. coniungit, & vix potest vnum abique alio tractari. Prima sententia est Gracorum, adferentium fermentatum panem esse de necessitate huius sacramenti, ita vt in solo illo, tam licite, quam valde confici possit. Quia error incepisse creditur post mille & viginti annos a Christi aduentu, vt colligitur ex Leone IX. epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum c. 5. & ex Anselmo lib. de fermentato & azyzo. Guidone Carmelita, & Castro, verbo Eucharistia haeresi 2. Niceph. lib. 1 historiae c. 28. & in eodem errore nunc Graecos persistere, colligitur ex Hier. Patriar. Constantinopolitano, in libro responsionum ad Lutheranos capite 10. vbi negat in azyzo fieri sacramentum. Fundamentum horum est, quia putant, Christum in fermentato pane consecrasset, dicunt enim non cenasse agnum decima quarta Luna, quando azyza incipiebat, sed Luna decima tertia, quando fermentum durabat, Confirmatur haec sententia, quia panis azyzus non est panis simpliciter, sed secundum quid, cuius signum est, quia non est in communi vsu hominum.

Leo IX.
S. Anselm.
Guido.
Castro.
Euthym.
Niceph.
Hierem.

Secunda sententia referri potest, dicens, panem azyzum esse necessarium Latinis de necessitate sacramenti, fermentatum vero Graecis, ita, vt si in altero tenentur conficere, nihil facient. Ita docuit quidam Hugo, quem refert & sequi videtur Glossa in capit. Litteras, de celebratione missarum, sed est ineptissima sententia & sine fundamento.

Tertia ergo sententia est, neutrum quidem panem esse Latinis aut Graecis de necessitate sacramenti, conuenientiore tamen, magisque congruentem materiam esse panem fermentatum, quam azyzum. Hanc sequuntur Lutherani & Caluinitae, qui dicunt vsque ad Alexandrum tertium Ecclesiam fuisse vsam fermentato, illum vero Pontificem, vt aliquid in utilitatem faceret, azyzum introduxisse: quam consuetudinem ipsi despicientes, fermentato in suis coenis dominicis (vt vocant) vtuntur. Primo, quia est magis vsualis, & aptior ad cibandum hominem, & consequenter ad significationem spiritualem huius sacramenti. Secundo, quia non licet nobis vti caeremonia Iudaica. Panis autem azyzus est Iudaica caeremonia, vnde in sexta Synodo Canone 11. Trullano prohibetur fideles Iudaorum azyza comedere. Ex quo inferitur, iuxta hunc errorem, non debuisse, nec potuisse Ecclesiam Latinam praecipere consecrationem in azyzo, aut prohibere illam in fermentato. Cur enim prohibeat id, quod magis decet praesertim, quia celebrando in azyzo semper magis videmur imitari Iudaorum ritum. Vnde eademmet Ecclesia Latina non curauit celebrare Pascha semper in Luna decima quarta, ne Iudaicum ritum retinere videretur. Confirmatur, quia panis fermentatus est perfectus panis: ergo non magis debuit prohiberi, quam vinum album vel nigrum.

6. Synodus.

Quarta sententia esse potest, in contrario extremos, panem, scilicet, azyzum esse de necessitate sacramenti, ita, vt fermentatus non sufficiat. Hanc tribuunt aliqui Armenis. Tamen, quamuis Nicephorus lib. 18. histor. cap. 53. referat eos consecrare, in azyzo, non tamen dicit, eos hoc facere ea fide vel opinione, quia putent, hoc esse simpliciter necessarium, sed eo modo, quo facit Ecclesia Latina, vnde nullum inuenio huius erroris assertorem. Fundamentum autem eius esse potest, quia Christus consecrauit in azyzo, sed est parui momenti, quia inde non fit, illam substantiam esse essentialem, quia fortasse consecrauit in vino albo, vnde non sequitur, illud esse ita necessarium, vt nigrum non sufficiat.

Quinta sententia est, panem azyzum, quamuis non sit de necessitate sacramenti, omnibus tamen esse de necessitate praecipui, ita, vt peccent Graeci consecrando in fermentato. Ita sentit Scotus. d. 11. q. 6. in fine. Gabr. lect. 34. in can. Castro supra circa finem. Hifolum videtur fundari in traditione Ecclesiae Romanae, cui etiam Graeci tenentur conformari. Alij vero videtur hoc fundare in iure diuino, fundato in factis Christi, qui in azyzo consecrauit. Indicat Angel. Eucharist. 1. num. 6.

Sexta sententia est, Latinis esse panem azyzum necessarium necessitate praecipui, Graecis vero liberum esse hoc vel illo vti, ita Pal. d. 11. q. 1. a. 4. concludit. licet non satis clare. Fundamentum esse potest, quia Ecclesia Latina imposuit hoc praecipuum: ergo Graeci possunt, si volunt illi conformari, esto, non tenentur, quia Ecclesia Romana noluit illos obligare. Et confirmatur, nam cur tenebuntur sequi iuxta Ecclesiam ritum, cum schismaticus sit?

Dico primo, tam panis azyzus, quam fermentatus, sufficit ad substantiam huius sacramenti. Est de fide, vt constat ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, & ex doctrina Tridentina sessione 13. & ex capite. Ad abolendam de haereticis, vbi damnantur, qui dicunt, Ecclesiam Romanam errare in ritu sacramentorum. Vnde Leo IX. in dicta epistola sententiam Graecorum haereticam vocat. Item Innocent. libro quarto de myst. capite 4. & Anselm. dicta epistola de fermentato & azyzo, & D. Thom. hic & omnes Scholastici, dist. 11. Anselm. 4. p. quaestione 32. & Gabr. dicta 3. lect. 34. Et quidem, quod panis fermentatus sufficit, omnes Catholici consentunt, & traditione constat, & ratione probatur statim. De pane autem azyzo probatur primo de facto Christi, celebravit enim Pascha primo die azyzorum, quando caeteri Iudaei immolabant, vt constat ex Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. illo autem die iam non licebat vti fermentato, vt constat Exod. 12. Quinimo, quamuis Christus cenasset 13. Luna, vt Graeci volunt verisimilius esset in azyzo consecrasset, vt Innocent. supra notat, & D. Thom. Thomas 4. distinct. 11. quaest. 2. art. 2. quaestione 3. quia licet Christus anticipasset tempus, tamen seruaturus erat omnes caeremonias illius Pascha: ergo sicut credendum est, vsu esse lactucis agrellibus in illa caena, ita est credendum vsu esse pane azyzo, sicut lege erat praescriptum, quod etiam notauit Petrus Comestor in historia Euangelica, cap. 149. Dicere autem possunt Graeci, in caena quidem legali vsu esse Christum pane azyzo, illa tamen finita, statim reddidisse ad panem fermentatum, quod non dicitur esse prohibitum. Sed in primis tam incertum est hoc, quam est incertum consecrasset in vino albo aut nigro, ergo sicut esset erroneum alterutrum ex illis vinis praescribere, propter factum Christi, ita & praescribere panem fermentatum. Ac deinde cum supra dixerimus Christum consecrasset ante inchoatam coenam vsualem paulo post finitam legalem, verisimile satis est consecrasset in pane & vino, quae superferuante ex caena legali: denique, si ipsi dicunt anticipasse Christum legalem coenam, cur non etiam dicent anticipasse totam caeremoniam illorum dierum, in quibus,